



**S** Gebhardus ex illustri comitum Pregantino-  
rum familia natus fuit. Pater eius Utzo tātā  
māfuetudinis erat, ut & syluestres aues ex eius ma-  
nibus ederent, atq; reliquæ feræ timore deposito  
propius ad eum accederent. Mater uerò eius ante  
partum mortua, ita ut foetus ex utero cæsus fuerit.  
Itaq; puerum nutrici educandum, & postea præce-  
ptoribus in optimis disciplinis instituendum pater  
tradidit. Vnde cum patre eiusdem indolis existēs,  
magnam existimationē uirtutis & eruditionis na-  
ctus fuit. Itaq; cum Constantiensis Ecclesia suum  
præsulem amisisset, Gebhardus omnium uolunta-  
te in Episcopum electus est. Eam functionem ma-

gna pietate exercuit, & auctoritatem Ecclesiasticam egregiè auxit. Nam mo-  
nasterium in Petershausen prope Constantiam, & Collegium Zurzachense  
(ubi nobile emporium hodie bis in anno cernitur) fundauit, & certis redditi-  
bus dotauit. Quicquid etiam in alijs locis requirebatur, abundè satis præsti-  
tit. Hac ratione per annos sedecim optimè præfuit, atq; tandem anno 996. o-  
bijt. Ipse uerò ob uitæ sanctimoniam in cathologum sanctorum relatus  
fuit, cuius solennitas 27. August. peragitur. Anon. in Con-  
stant. Episc.